

131c

D E O D U C E  
M E D I T A T I O S . E P I S T O L Æ  
F E R I Æ IV.

# P A S C H A T O S

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione ad uberiorem textūs cum opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M  
*In Regia Aboënsi Academia,*

P R A E S I D E ,

Æ S C H I L L O P E T R E O  
S.S. Theologiæ Doctore & Episcopo Aboënsi,

*Examini subiicit in Auditorio Majori horis solitis  
Ad Diem Septemb. Anni 1656.*

*J S A A C U S M. S T E N I U S*  
F I N N O.

OCCumenius in hunc Locum.

Iudei tradiderunt Christum Pilato ad excidendum, dicentes : nobis non licet quemquam occidere. Negabant autem clamantes : non habemus regem nisi Cesarem.

Idem in hunc locum :

Dicit S. Petrus, quod ignorantes fecerint, licet sciret eos non ignorantibus fecisse hoc Christo, sed ita aperit illis januam pænitentiae, unde dicit : resipisciote : Non loquitur de illis, quaæ in cruce acta, sed de alijs peccatis.

A B O Æ,

---

Excusa à Petro Hanßen/ Acad. Typogr.



Reverendis, Gravissimis & Prudentissimis Viris,

Dn. Andreæ Jonæ Orræo, Præ-  
posito & Pastori in Hållola attentissimo

Dn. Andreæ Christophori Her-  
kepæo, Pastori in Hauho dignissimo.

Dn. Henrico Johannis Lilio, in  
Långelma Pastori fidelissimo.

Dn. Abrahamo Jacobi, Pastori  
in Ikalis Vigilantissimo.

Dn. Henrico Iac. in Tavastiâ &  
Nylandiâ Legifero solertissimo.

Dn. Georgio Johannis Præfecto  
in Lauko & Tötkijärvi fideli.

Fautoribus & Promotoribus suis devene-  
rendis, colendis & amandis Hanc  
Disput.

officiosè

Inscribit, & offert.

Isaacus M. Stenius



## MEDITATIO S. EPISTOLÆ, FERIÆ IV. PASCHATOS.

In Sanctæ & summè laudandæ Trinitas, Patris, Filii  
& Spiritus Sancti nomine.

**C**onfiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, &  
Sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent  
& potentiam tuam loquentur. Ut notam faciant filijs  
hominum potentiam tuam & gloriam magnificientiae re-  
gni tui. Regnum tuum, regnum omnium seculorum:  
& dominatio tua in omni generatione & generatione.

*Psal. 145. v. 10. 11. 12. 13.* Alloquitur his verbis  
Psalmista Deum, confitens quod opera Dei teneantur  
gratias ei agere, & quod Sancti Dei obligentur ad laudan-  
dum Deum, ad glorificandum regni ejus celebritatem, &  
ad loquendum de ejus imperio. Addit etiam causam qua-  
re omnia opera Dei, omnes Sancti debeant laudare Deum  
& gloriam regni ejus, & loqui de imperio ejus, ut inquit,  
imperium tuum innoteat filijs hominum & regnit uixi  
imperium tuum innoteat filijs hominum & regnit uixi ex-  
imia majestas: nam tuum regnum est æternum regnum, &  
imperium tuum durat sine termino. Hæc confessio Davis  
dis, quod omnes creaturæ etiam opera Dei obligantur  
ad laudandum Deum & regnum ejus, ut cognoscant filij ho-  
minum regni Dei & imperij ejus potentiam & quod re-  
gnum ejus sit æternum rectè refers cum primis ad secun-  
dam divinitatis personam, filium Dei & Salvatorem no-  
strum Dominum Jesum Christum, & ejus regnum & impe-  
rium. Omnes sancti, omnia opera ejus, omnes homines

debent ei laudem & gratiarum actionem quod reciperit nos  
in suū regnum eripuerit ex regno Diaboli, inferno & æterna  
damnatione, quod effecit per suam passionem & mortem,  
nec non resurrectionē ex mortuis. De hoc Christi regno, in  
quod nos exmerā eis gratia collocati sumus, sæpè nobis lo-  
quendū sæpè ei gratiæ agendæ & quidem quamdiu vixeri-  
mus in hac vita, & post in odū in altera vita sine fine. Præcipue  
verò imperium ejus, quod in nos consecutus est, per passio-  
nem, mortem & resurrectionem, laudemus & extollamus  
hoc resurrectionis Christi ex mortuis festo, quod jam piā  
consuetudine etiam celebрамus, dicamus itaque:

*Christus in morte hæsit.*

**O**remus etiam Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamur,  
ut cedat in nominis divini gloriam, uobis in augmentum &  
incrementum doctrinae & bonorum operum, in Spem & fidu-  
ciam & tandem in aeternam beatitudinem: Dicamus igitur  
Pater noster &c.

**T E X T U S A&gt;7.3. v. 13. ad 21.**

**D**escribit S. Lucas in hoc textu S. Petri concio-  
nem coram Iudeis habitam, post sanationem claudi  
ab utero matris & petentis a S. Petro & Johanne introitum  
in templum Eleemosynam. Hunc ambulantem vidil-  
set populus una cum Apostolis, ac currit in magna multi-  
tudine ad mirantes id quod factum erat cum hoc homine  
ab Apostolis. Populum ita admirandum S. Petrus al-  
loquitur dicens: Viri Israelitæ quid miramini super hoc,  
vel quid nos aspiciatis, nostra virtute vel pietate feceremus  
hunc ambulare, Sed res ita se habet, inquit S. Petrus, Deus  
patrum nostrorum exitavit filium suum Jesum, quem vos  
tradidistis Pilato, & noluitis dimitti, licet esset, vir iustus  
& Sanctus, petiistis eum vobis solvi homicidam, occi-  
distis

distis Dominum vitæ, hunc Deus exitavit ē mortuis, ejus  
& nos testes sumus, per fidem verò in hujus Christi vide-  
licet nomen, hic quem videtis sanatus est. Postea excu-  
sat eos Petrus dicens, quod ex ignorantia & errore hoc fe-  
cerint, & dicit factum juxta Prophetias perhibentes Chri-  
stum passurum. Hoc gratia eos ad poenitentiam & conver-  
sionem promittit etiam peccatorum remissionem, utili  
inveniant requiem animabus suis in extremo die, in ad-  
ventu Christi, missi à patre, qui hæc jam vobis annuncian-  
t. Confirmatur articulus fidei nostræ de Christi re-  
surrectione. item articulus de Christi divinitate & omni-  
potentia. Excitamur ad orandum: dimitte nobis debita  
nostra.

### P A R T E S

1. De Concione Petri Legali, & correptione Israeliti-  
tarum ob occisum Christum, virum Sanctum  
& justum.
2. De concione ejus Evangelica, & consolatione &  
promissione remissionis peccatorum.

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & sim-  
pliciter tractare constituoimus: Omnipotens & aeternus Deus,  
pater noster cælestis dilectissimus nobis omnibus benedicat, cunctaq;  
utiliter & fructuose cedere faciat.

### P R I M A P A R S

In quâ meditamur:

I. Concionis Petri occasio-  
nem. Hanc indicat S. Lucas, referendo ob miracu-  
lum factum ab Apostolis in sanatione Claudi, ambulantis  
cum Apostolis & laudantis Deum. Cum verò sic con-  
gregata esset magna multitudo, etiam illorum qui pro-

occidendo Christo sollicitarunt Pilatum & opus habebant  
correptione & legali concione in primis, nec non concio-  
ne Evangelicâ & absolutione, consultum ratus S. Petrus  
hac occasione uti ad illorum salutem æternam.

L. C. 1. Ministro verbi occasio omnis captanda  
& rapienda convertendi eos à via mala, eximendi eis se-  
curitatem & sorcordiam ne in illa pereant in peccatis suis.  
Vidit S. Petrus hunc populum adhuc nullam egisse pœni-  
tentiam super hoc peccato quod consensissent in mortem  
Christi, Domini vitæ, viri sancti & justi; Vidit eos inde  
exultare quasi re benè gesta & servitio Deo præstito. Vi-  
dit eos in via lata & ad damnationem deducente consti-  
tutos properare ad æternum exitium, ergò maturè erat  
obstandum ne ulterius pergerent, itaq; accepta occasione  
eos primò perpetrati criminis admonet & corripit & po-  
stea dolentibus veniam annunciat. Fecit Apostolus hic  
fidelis dispensatoris officium, quod omnibus doctoribus  
imitandum, ut monet etiam Deus per Prophetam, Esa. 58,  
v. 1. Ezech. 33. v. 1. seqq. ad v. 10.

L. C. 2. Deus nobis non raro majora beneficia  
præstat, quam ipsimet cogitamus vel querimus. Ita hic  
fit, hic populus cucurrit tantum ad videndum hunc sanas-  
tum, qui ab utero claudus erat, mirantur jam illum ambu-  
lare, amplius non cogitabant se facturos haec vice. Sed Deus  
majus beneficium illis exhibit, fecit eis prædicari verbum  
suum, primò quidem non nihil redargui verbis, & mox  
certiores eos reddere de peccatorum suorum remissione.  
Dum itaq; homo in bonis occupatur & exercetur rebus in  
divinorum operu n aspectu, consideratione & meditatio-  
ne, Deus adest sua gratia & studium illorum Deum lau-  
dandi & celebrandi recompensat, ut verum sit illud: non  
labor in Dominu vester iniuris erit 1. Cor. 15, Videamus  
itaq;

itaq; ut in bonis operibus & pietatis exercitijs inveniamur corporalis exercitatio ad parum utilis, pietatis ad omnia utilis. i. Thim. 4.

## II. Auditorum honorificam

compellationem. Alloquitur Apostolus suos auditores, nominando eos viros Israelitas. Gaudebant Ju-dœi hoc titulo & illum honorificum reputabant. Unde etiam Apostolus 2. Cor. 11. inter honoratores titulos usitatos huic populo, refert quoq; titulum Israelitæ, Ebræi sunt inquit, sum & ego, Israelitæ sunt, sum & ego, semen Abrahæ sunt, sum & ego. Patriarcha Jacobus binominis erat, Jacob à parentibus appellatus ut nomine proprio, Israel ab angelo secum luctante, vocatur Israel princeps Dei; cum Deo, inquit angelus & cum hominibus luctatus es & prævaluisti, vocaberis Israel, noluit Jacob dimittere angelum secum luctantem, priusquam benediceret ei. Hie autem angelus fuit filius Dei in forma hominis, dixit angelus cum Deo & hominibus luctatus es, cum Deo in forma hominis apparente Genes. 32. Christus de Nathanaele ad se veniente dicit : Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.

L. C. Verbi Dei ministri libenter & amicè compellent suos auditores, cum eos alloquuntur in suis concionibus. Vocamus enim eos vel bonos Christianos, vel dilectos Christi amicos, vel electos in Christo. Et in privatis colloquijs cum illis & alijs non denegandus est cuiusque suo honori competens titulus ; Et hoc est etiam prævenire alterum mutuo honore. Apostolus suum Timotheum docet quomodo compellare debeat suos auditores, diliguit vero eos in presbyteros, juniores viros, in seniores mulieres & juniores foeminas : Viros seniores vult compellari

lari ut patres , juniores viros ut fratres Mulieres seniores ut matres, juniores foeminas ut Sorores in omni castitate i.  
Tim. 5. v. 1. 2. Atq; ut pij & obtemperantes & suæ salutis æternæ rationem habentes amicè compellandi: Sic duri præfracti obstinati duriusculè nominandi, ut Paulus suos Galatas nominat stultos, Gal. 3 v.1. Talis compellatio aliquando est necessaria, ideoq; ut aspera medicina æqui boniq; consulenda.

**III. Peccati auditorum Petri**  
expositionem. Deus, inquit S. Petrus, patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum, videlicet per hoc, quod fide in Jesum sanatus sit hic claudus, filij Dei qui est<sup>um</sup> cum patre verus Deus, virtus erat, quā sanatus hic claudus. Hunc Jesum, inquit S. Petrus, vos primò tradidistis gentibus Pontio Pilato & ejus militibus, secundò ait, negavistis illum coram Pilato, aversati estis illum noluistis ut viveret, adjudicastiis ipsum morti. Tertiò, hunc virum sanctum & justum noluistis dimitti & solvi & vivere: Sed homicidam illum petivistiis donari tanquam optatum quid Dei donum, & ducem vitæ interinistiis. Hæc peccata contra Christum Petrus recenset, ideo quod prius Israelitæ isti non putabant se peccasse, ducendo Christum in prætorium & tradendo eum in manus gentilium, putabant se re&è fecisse, gloriabatur inde, non putabant se peccasse clamando: crucifige, crucifige, aufer &c. Cum petivissent solvi Barabam. Hoc peccatum adhuc dormiebat apud eos, nondum sciverent se malè fecisse. Sicut Judæi dixerunt impudenter Christo: nonne benè dicimus nos quod Samaritanus es & dæmonium habes? Joh. 8. Sed jam Petrus eis monstrat & ob oculos ponit eorum errores suisse gravissimos in vexandro Christo & mortificando ut exenteretur

tur à sopore , & oculos aperirent & recogitarent suum fas-  
tum , quod magnis peccatis esset infertum & convolu-  
tum . Filium Dei tot injurijs affecerunt , virum sanctum &  
justum extremo odio persecuti sunt , homicidam præposue-  
runt viro sancto & justo , ducem vitæ voluerunt occidi ho-  
miciam verò supervivere ».

L. C. Notoria peccata publicè taxanda sunt . Taxat Petrus publicè peccata Judæorum quòd tradiderint Chri-  
stum , quòd noluerint suum regem , quòd adjudicaverunt eum morti , quod repudiaverint & vivere noluerint san-  
ctum & justum , homicidam verò petiverint dimitti . Et Apostolus 1. Tim. 5. v. 19 , non vult leviter & sine proba-  
tionibus aliquem accusari , præsertim v. ministrum verbi , interim monet , convictos peccati & criminis coram o-  
mnibus arguendos esse , ut cæteri timorem habeant . Atq; inde est quod etiam in nostris Ecclesijs publicè in usu sit pœnitentia in gravioribus delictis . Et Paulus 1. Cor. 5. in-  
cestuosum qui novercam suam in uxorem duxit , tradi-  
dit Sathanæ ad tempus ut resipisceret , hoc est , excommu-  
nicavit ipsum ut nos loquimur , postea v. ipsum pœniten-  
tem intelligens , ipsum in Ecclesiam recepit . Dum v. ta-  
lis disciplina Ecclesiastica exerceatur à pijs & Synceris ver-  
bi Dei ministris non indignè hoc ferant alij , sed sint mini-  
stro adjumento , ut malum tollatur . Reprehendit enim Apostolus quosdam Corinthi qui colludebant cum illo in-  
cestuoso , quasi nullum commisisset flagitium , ducendo su-  
am novercam , dicit enim eis , vos estis inflati , cum potius deberetis lugere & curare ut qui tale flagitium commis-  
sata uferretur de medio vestri .

L. C. 2. Peccatum vitandum latet ad tempus , non  
fentitur ejus gravitas , sed tandem manifestum ubi fit , nihil  
præter decus & ignominiam attrahit miseris peccatori-

B bus ,

bus, brevis voluptas in peccato dum committitur, sed multum oneris relinquit in corde & conscientia miseri hominis. Observanda oratio & admonitio Syracid. cap. 23. v.  
32. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

L. C. 3. Cavendum ne tradamus innocentes in manus judicum vexandos & mendacijs onerandos, qui multa gravia coguntur pati, priusquam illorum innocentia patescat, id quod evenit Josepho propter suspicionem & falsam accusationem captivatur non exiguo tempore. Evenit id ipsum Johanni Baptista, Christo ipsi. Etiam videndum ne pios & Santos homines velimus de medio sublatos, vel contemnamus, praeponamus v. impios homicidas, adulteros &c. Ille enim habitabit in monte Domini sancto, in cuius oculis spretus & contemptus est impius, honorat verò pium. Psal. 15.

**IV. Resurrectionis Christi demonstrationem.** Hunc, inquit S. Petrus excitat Deus ex mortuis, cujus nos testes sumus, & super tunc nominis ejus, huic quem intuemini & novistis, confirmavit nomen suum & fides in illū, dedit illi sanitatem in conspectu omnium vestrum. Summa est orationis Petri de hoc miraculo, quia hic claudus, qualis ante sanationem erat, fidem habuit in Christum Iesum, quem vos crucifixistis, sanatus est & corporis vires recepit, quamvis ab ultero matris tarsis fuerat, utique ille in quem fidem habuit hic homo, non est mortuus Sed vivit & verè ex mortuis surrexit virtute Dei hoc est, propria virtute siquidem est Deus: nam sicut pater resuscitat mortuos, Sic etiam filius resuscitat mortuos, inquit Christus Joh. 5. Ergo scitote Iesum Nazarenum vivere in gloria summa apud Deum patrem suum.

L.C.F.

L. C. Fides in Christum Jesum non est vana & irrita  
sed avocat virtutem & efficaciam Christi ad auxiliandum  
nobis etiam in tempore tribulationis & in omnibus diffi-  
cultatibus. Ita Christus dicit de muliere laborante pro-  
fluvio sanguinis ac dicente intra se: Si tantum tetigero sim-  
briam vestimenti ejus, salva ero. Et cum illa tangeret  
Christum, dicit Christus: quis tetigit me, nam sentio vi-  
tutem ex me exiisse, Luc. 8. v. 46. Præcipue vero Chri-  
stus virtutem suam in creditibus in se, exerceat, remit-  
tendo illorum peccata. Paralytico credenti in se dixit  
Christus: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth.  
9. Oremus ut augeat nobis Christus fidem nostram in se, di-  
ligenter ausculemus verbis Christi, audiamus conciones  
sacras, ut amur Sacramentis. Hæc siquidem, Verbum  
& Sacra menta media sunt per quæ Deus fidem & operatur  
in nobis & confirmat obsignatq;

## SECU NDA PAR S

*In prima parte audivimus Concionem Petri legalem  
ad Israelitas propter occisum Christum, in hac  
altera parte, ad ejusdem Concionem Evangelicam & consolationem attendimus.*

In quam meditamur:

## I. Auditorum amicabilem

compellationem, Nunc vero dilecti fratres. Pri-  
us in legali concione nominavit eos honorifico titulo ex il-  
lorum prosapia viri Israelitæ inquit, jam alio titulo eos  
compellat vñz. fratres. Fratres inquit. Quo nomine utitur  
ad insinuandum se in illorum amicitiam. ut tanto majorem  
vñm jam obtineat ejus consolatio, quando audiunt eum se

judicari pro ut fratres, amare, & non amplius odisse propter peccata adversus Christum commissa, audiunt etiam illum non admodum exaggerare illa peccata, sed breviter saltem recitare illa & in memoriam revocare, non duriter exprobrare.

L. C. Peccatores pœnitentes & peccata agnoscentes amicè tractandi, sufficit admonisse eos suorum errorum & mox ad fontes consolacionis currendum cum eis, ut S. Petrus hic facit. Ita etiam Christus cum Petro fecit, postquam se negasset; Petrum flentem ob suum peccatum mox intuetur vultu non horrido & torvo Sed benigno, & mox ut exitatus erat ex mortuis, per angelum jubet nunciari Petro cum primis, quod Dominus resurrexisset & quod non esset arcendus a conspectu Christi sed visurus eum ut cum Christus colloqueretur cum discipulis & cum Petro, annunciat eis omnibus palam, nec exprobravit illis qui quam aliud, quam tarditatem credendi ipsum resurrecturum. Christus etiam peccatores & publicanos libenter admisit pœnitentes, adeò ut bibit cum eis. Et cum accusarent eum propter eos Pharisæi, dixit, non opus habent sani medico sed ægroti, non veni ad vocandum iustos sed peccatores ad pœnitentiam, id quod etiam pluribus ostendit, Luc. 15. tribus us similitudinibus,

dinibus, à pastore ob repertam ovem gaudente  
à muliere ob repertam drachmam exultante, à  
patre ob recipiscentem filium prodigum ovante.  
Ubi addit Christus gaudium esse in cœlo & cum  
Sanctis angelis, ob peccatorem resipiscentem  
majus quam supra nonaginta novem justis qui  
non indigent pœnitentiâ.

## II. Condonationis peccato-

*rum promissionem. Scio inquit, fratres quod hac fece-  
ritis ex ignorantia, sicut etiam vestri primores. Deus,  
quod vos fecistis male, in bonum finem convertit, juxta  
divinam suam providentiam, vos cogitatis de Christo  
filio Dei malum, Sed Deus pro sua sapientia & bonitate  
in bonum illud convertit; sicut etiam Prophetæ olim va-  
ticipinati sunt de morte Christi, peccatis quidem gravi-  
ter, vestra ignorantia merito non excusaret vos, opor-  
tuisset vos rectius didicisse, quam virum sanctum & ju-  
stum interimere, verum jam tempus est gratiae, Deus  
non vult intrare vobiscum in judicium, non vult stricto  
jure vobiscum agere, exaudiuit preces filij sui pro vobis,  
cum in aracrucis intercessisset pro vobis dicendo: Pater  
dimitte eis, quod faciunt, ignorant.*

L. C. Consensum Prophetarum & Apo-  
stolorum videamus in doctrina de remissione pec-  
catorum, ut illa omnino vera sit, quod peccata  
omnibus pœnitentibus remittat, quicquid tan-

dem fecerint mali etiam crucifigentibus filium  
Dei. Id quod etiam docet Propheta Ezechiel.  
cap. 18. v. 20. seq. ad finem cap. & cap. 33.

**III. Iucundam extremi diei ap-**  
pellationem. Vocat Apostolus extremum di-  
em tempus refocillationis coram facie Dei, & mis-  
sionem Jesu Christi, quæ jam annunciatur. Chri-  
stus vocat hunc diem, redemptionis diem, Luc.  
21. attollite, inquit capita vestra cum hæc incipi-  
unt fieri, tunc videtis præ manibus esse extre-  
num diem, nam tunc appropinquavit redem-  
ptio vestra. Adhibet pulcherrimam similitudi-  
nem ab arboribus florescentibus, quod gerat si-  
gna æstatis & præteritæ hyemis. Erunt quidem  
horribilia signa præcessura extremum di-  
em, sed pijs non afferunt tristitiam sed lætitiam,  
annunciant redemptionem & finem malorum  
quibus pij & onerati fuerunt in hoc mundo.

L. C. Simus bono animo cogitantes insta-  
re extremum judicium, simus pij & non nocebit  
nobis, tunc filius Dei nos collocaturus ad dextram  
suam, dicturus nobis: Venite benedicti patris  
mei possidete regnum ante fundamenta mundi  
paratum, & tunc ibimus in gaudium Sempiter-  
num corpore & anima. Matthæi. cap. 25.

Cle-

**C**lementissime Deus pater cœlestis, qui clarificasti filium tuum JESUM resuscitando eum ex mortuis, & per illum & in nomine ejus magna & multa miracula fieri fecisti, da nobis quæsumus gratiam tuam, ut verâ pœnitentiâ à peccatis nostris desistamus & cum gaudio & elevatis capiibus Dominum nostrum J E S U M C H R I S T U M in fine mundi venientem, ut cum eo ingrediamur in paradisum & æterna tabernacula per Dominum nostrum J E S U M Christum Amen.

**B**enedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio & honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum Amen. Apoc, 7: 12.

## QUÆSTIONES:

I.

Quare nominat Deum Abraham, Iсаaci, Iacobi ? R.

Deum Abraham, Iсаaci & Jacob nominat, ut testatum faciat populo, sibi nihil minus in animo esse, quam eos abducere à prisco veri Dei cultu, qualem à patribus acceperant. Hunc porrò

porrò sibi titulum indiderat Deus, ut nota aliquâ se discerneret ab idolis. Neq; enim Deum in sua essentia quæ invisibilis & infinita est, comprehendimus. Rationem ergo nobis congruam attemperat, quia nos ducat in sui notitiam.

II.

Quid hac locutione, nomen ejus, in fide nominis ejus notetur ? R.

Quantum ad locutionem attinet, cum dicit Nomen ejus in fide nominis stabilivit causam & modum notat. Virtus Chtisti claudum sanaverat, sed per fidem. Cum dicit Fides quæ per eum est, hoc verbo significat, fidem nostram non aliter ad Deum assurgere, nisi in Christo fundata sit, adeoq; fidem nostram Christum respicere & eo subniti, atq; ita subindicit hoc medio præterito, nullam esse in Deum rectam fidem.

